Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2301
Quelle:
Copyright:

cam &c. Atque hic finit Codex multarum rerum cognitu dignarum ferax, et Viri Acta commendans, qui, si Academiam *Lipsiensem*, *Halensem*, *Göttinganam* &c. olim ornasset, jam dudum nactus fuisset solertem Βιογραφον. Sed enim quot ejusmodi Virorum memoriam cum in his Commentariis, tum in *Hist.* mea *Typogr. Vien.* revocare conatus sum!

DCCCCXXXIX.

U.119 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 264. 4. non una manu perscriptus et olim Testamento addictus *Collegio Beate marie virginis domus rubee rose apud fratres predicatores in Wyenna a M. Andrea de Weytra arcium ac sacre pagine Professore, ad sanctum Stephanum canonico, patre ac superintendente collegij prefati* sequentia complectitur: I. Συλλογν pertinentem ad Visitationem Dioecesis *Passav.* quam occasione Legationis ad *Bohemos* et *Moravos* e Concilio *Basil.* agente *Alberto* Archid. a. 1435. instituere *Philibertus* Ep. *Constant.* Legationis caput, et *Leonhardus a Layming* Antistes *Passav.* cui nimis parum in hoc negotio tribui video ab *Hansitio T. I. Germ. sacrae.* p. 525. Habes vero in Codice: 1) *Dicenda per cursorem in vocando communitates et sacerdotes.* Vocabantur etiam *duo uel tres* Laici. 2) Puncta a delegatis Visitatoribus praevie proponenda, et *pro finali conclusione* dicenda Clericis. 3) Bullam *Leonhardi* Ep. qua Visitationem *ab altera parte danubij infra Anasum* delegat *Paulo de wyenna decretorum doctori et Andree de weytra baccal. in theologia formato* subscriptam *Wyenne Sexta die Mensis Junij Anno D. &c. 35°.* 4) Formulam *secundum quam visitacio instaurata est.* Dedit eam *Leonhardus Dominica, qua in dei ecclesia canitur Misericordia domini* (II. post Pascha) *In sua ciuitate Patauiensi* Synodum celebrans. Multa in ea adcurata, opportuna, etiam curiosa de Clericorum, quibus rubeus et viridis color prohibetur, vestitu, ubi *Colleria*, *Joppulae*, *Pannus cendatus* (*Zendel* - sive *Sendeltaft*) &c. 5) *Formulam visitandi M. Johannis de Gersona.* Habetur illa *Opp. omn.* Edit. dictae *Antverp.* T. II. P. 4. *col.* 558. 6) interjectis quibusdam *Asceticis* excerptis, ut praefertur, ex *Libro pergameneo pertinente ad Dreschirchen* sequuntur Officia *Rectoris Ecclesie parochialis*, *Vicariorum, Clericorum simul habitantium*, *Praedicatorum*, *Confessorum* &c. quae Sec. XV. Disciplinam ecclesiasticam illustrant. 7) *Interrogatoria* visitandorum primum Clericorum, dein Laicorum, ubi inter alia: *An portent sacramentum eukaristie ad bladum* (Segetes)? *An dicant ibi 4. ewangelia versus 4. angulos mundi?* ubi additur: *Nullum istorum debent facere ad vitandam supersticionem* &c.

II. *fol.* 25. p. 2. Decreta quaedam *Basileensia:* 1) *Sessionis* I. de Celebratione Conciliorum. 2) Con-